

(32. Confirmatio in forma communi, quæ et simplex atque ordinaria appellatur, ea est qua Superior, non præcedente alia cognitione causæ, actum ab inferioribus gestum confirmat in eo statu in quo prius fuerat; Reiffenstuel. l. 2, t. 30, n. 4. Et hæc Confirmatio nullum jus novum, neque valorem tribuit illi cui accedit: sed supponit actum jam validum, eumque approbat quatenus de jure validius existit. Glossa c. 1 Sannig, n. 4.

(33. Confirmatio in forma speciali atque ex scientia dicitur ea quæ fit cum perfecta notitia totius negotii, et omnium ejus circumstantiarum. Reiffenstuel l. 2, t. 30, n. 7.

(34. Hæc novum jus tribuit actui; eumque, si forsitan antea invalidus fuisset, firmum reddit atque validum. Glossa c. 1. Pirbing. t. 30, num. 3 et 4. Barbosa ad t. 30, n. 8. Reiffenst. l. c.

(35. Quilibet Electus infra tres menses post consensum electioni de se celebratæ præstitum, confirmationem ipsius electionis petere tenetur; quod si justo impedimento cessante infra hujusmodi trimestre omiserit, electio eadem eo ipso viribus vacuatur. Layman c. Quam sit num. 3. Reiffenst. l. 1, t. 6.

CONFRATERNITAS.

SUMMARIUM.

ARTICULUS I. — Quoad ea, quæ concernunt Confraternitatum erectionem, et aggregationem.

1. Ut valide, et legitime erigantur, et aggregentur Confraternitates, debet omnimode observari Constitutio Clementis VIII, incipiens, *Quæcumque*. — 2. Adducitur hic talis Constitutio. — 3. Adducuntur summarie, quæ Clemens VIII in ipsa Constitutione statuit omnimode observanda. Primo enim statuit quod in uno loco unica tantum Confraternitas ejusdem Instituti, et generis possit in Ecclesiis, tam Sæcularium, quam Regularium institui, et aggregari. — 4. Secundo. Quod id fiat de consensu Ordinarii, et cum literis testimonialibus ejusdem. — 5. Tertio. Quod instituentes etc. — 6. Quarto. Quod statuta etc. — 7. Quinto. Quod in aggregandis etc. — 8. Sexto. Quod gratiæ etc. — 9. Septimo. Quod Confraternitas etc. — 10. Octavo. Quod dictæ elemosynæ etc. — 11. Nono. Quod Confessarii etc. — 12. Decimo. Quod si sint etc. — 13. Undecimo. Quod Confratres non possint absolvi a casibus infrascriptis, scilicet, primo, contentis in quibusdam Bullis, secundo, Violationis etc. — 14. Quod literæ erectionis, et aggregationis gratis dentur. — 15. Quod prius erectæ novas erectionis literas petant. — 16. Assignatur forma utenda in erigendis, seu instituendis, confirmandisque Confraternitatibus, ac communicandis Indulgentiis, et gratiis, usque ad n. 17. — 18. Adducitur formula pro aggregationibus, usque ad n. 19. — 20. Adducitur Constitutio Pauli V. pro Indulgentiis, et gratiis ipsis concessis, usque ad n. 21. — 22. Confraternitates Cordigerorum possunt ubique in propriis Ecclesiis erigere Patres Conventuales private quoad omnes, ubi existunt. — 23. In locis, in quibus non sunt Patres Conventuales, tales Confrat. possunt erigere Minores de Observantia. — 24. Solummodo Prælati Ordinis Minorum, inter quos connumerantur Guardiani, et Præsidentes, possunt recipere volentes aggregari hujusmodi Confrater. Cordigerorum private quoad omnes alios. — 25. Confraternitates Sanctissimi Rosarii erigere possunt, et instituere solum Ordinis Prædicatorum Magistri, vel Vicarii Generales, et per eos deputati Patres ejusdem Ordinis etiam in sæcularibus Ecclesiis, usque ad n. 26. —

(36. In electionibus, quarum Confirmatio ad Sedis Apostolicæ examen immediate pertinet, statuitur, quod Electi infra unum mensem post consensum, vel post obtentum de ipsorum electione notitia, ad Sedem ipsam iter arripere, et ad petendam suarum electionum confirmationem cum omnibus actis, juribus et munimentis suis, quam cito commode poterunt, comparere personaliter teneantur, vel saltem per procuratorem sufficienter instructum. In Clem. Ne Romani § fin. Reiffenstuel l. c. tit. 3, S. P. in Constit. *Cupientes* c. 16 in 6.

(37. Confirmanti incumbit, ut personam, qualitates, moresque Electi, et processum seu validitatem electionis prius diligentem exploret. In c. *Nihil est* 44, t. 30. Reiffenst. l. c.

(38. Literæ Confirmationis expediuntur in forma bullæ gratiosæ Extrav. 1, t. 6, int. com. In iis, si electio minus canonica deprehensa est, inseritur clausula: « Cassata electione providemus ex integro eidem ecclesie de eadem persona extemplo. » c. 3, de *sortilegiis*; ob defectus autem dubios, adhibetur clausula *supplentes* c. 39, t. 6. Zallinger l. c. t. 6, 317.

27. Sic Confraternitates Corrigatorum S. Augusti. Scapularis S. Mariæ de Carmelo, et aliæ aliis Regularibus concessæ eriguntur, et instituuntur a suis respective Superioribus, seu deputatis Religiosis. — 28. Cum hoc tamen, quod omnes ab omnibus erigantur et instituuntur juxta præscriptum a Clemente VIII. in dicta Constitutione incipient. *Quæcumque*. — 29. Talis Constitutio Clementis VIII. prohibens ne in uno loco erigantur plures Confraternitates ejusdem Instituti, et generis, non comprehendit Confraternitatem Sanctissimi Sacramenti. — 30. Nec etiam comprehendit Confraternitatem Doctrinæ Christianæ. — 31. Nec etiam comprehendit Confraternitates jam erectas ante promulgationem talis Constitutionis. — 32. Adducitur Decretum Sacræ Congregationis Indulgentiarum de mandato Pauli V. edium ad dirimendas varias controversias, usque ad n. 33. — 34. Licet sit supprimenda alia Confraternitas ultimo erecta in loco, ubi alia ejusdem Instituti, et generis jam aderat, non tamen sunt suppressi, et inhibiti etiam actus ex devotione exercendi respectu ejusdem Sancti, sub cujus nomine fuit suppressa societas, usque ad n. 36. — 37. Regulares, qui ex Indulto Apostolico facultatem habent instituendi Confraternitates, seu Societates in eorum Ecclesiis, non possunt illas erigere, seu instituere cum usu Sacrorum absque Ordinarii loci licentia. — 38. Confraternitates Laicorum erigi, et institui non possunt in Ecclesiis Monialium. — 39. Confraternitates ab Ecclesiis, in quibus reperiuntur erectæ, et institutæ, possunt libere discedere, et expelli, etiamsi essent erectæ in Ecclesiis Regularium. — 40. Confraternitatum aggregatio propriorum Ordinum potest fieri a Regularibus in quibuscumque Ecclesiis, sive propriis, sive extraneis. — 41. Confraternitates aggregatæ Archiconfraternitatibus Urbis non gaudent privilegiis Archiconfraternitatum aggregantium, sed solummodo illarum Indulgentiis, et gratiis spiritualibus. — 42. Unde non obstante, quod Confraternitati aggregatæ fuerint per Archiconfraternitatem aggregantem communicata nominatim, et expresse ejus privilegia et statuta, nihilominus debent ab ipsa Confraternitate aggregata omnimode observari conventiones, pacta et statuta in limine erectionis de auctoritate Ordinarii apposta,

usque ad n. 45. — 44. Per aggregationem autem nihil detrahitur jurisdictioni Ordinarii. — 45. Confraternitates Sanctissimi Sacramenti ubique erectæ, vel erigendæ absque nova concessione, communicatione, vel aggregatione, participes sunt quorumcumque privilegiorum, concessionum, Indulgentiarum, et gratiarum Archiconfraternitati de Minerva concessarum, et concedendarum. — 46. Facta erectione, et aggregatione Archiconfraternitati Doctrinæ Christianæ Urbis. cætera hujusmodi Confraternitates ejusdem Diocesis non indigent separata aggregatione, ut gaudeant indulgentiis. — 47. Afferitur Decretum pro taxa expensarum requisitarum pro aggregationibus obtinendis. — 48. Constitutio Benedicti XIII. *Ex quo Sede Apostolica*, quoad erectionem Archiconfraternitatis sub titulo B. Mariæ Virginis Immaculate, suum non est sortita effectum. — 49. 50. Privilegia societatis S. Mariæ Virginis de succursu contra infideles. — 51. Confraternitates vel sunt Ecclesiasticæ vel Laicales. — 52. Ad erectionem Confraternitatum Ecclesiasticarum necessaria est auctoritas Superioris Ecclesiastici. — 53. Superior Ecclesiasticus in hac materia non est semper Episcopus. — 54. Confraternitates in Ecclesiis Regularium non aliter erigi possunt a Superiore eorumdem quam si de illis sint, quarum erectio ex Apostolico privilegio ad ipsos spectat. — 55. Confraternitates in eorum Ecclesiis erigendæ sunt auctoritate Ordinarii. — 56. Confraternitatibus licet sese transferre de una in alteram Ecclesiam, ita et Regularibus permissum est ipsas Confraternitates dimittere. — 57. Hæc translatio fieri nequit sine consensu majoris partis Confratrum. — 58. ad 60. An idipsum obtineat, si agatur de Confraternitatibus illis, quarum erectio ad Superiores Regularium spectat? — 61. 62. In casu permissæ translationis Confraternitatis de una ad aliam Ecclesiam, intelligitur quoque translatio honorum ad easdem Confraternitates spectantium. — 63. Nova Confraternitas in eodem loco non prohibetur erigi, si titulum habeat ab antiqua diversum. — 64. Maxime si institutum habeat diversum. — 65. Etiam si concurrat n'xtura tituli. — 66. Ex duabus Confraternitatibus ejusdem tituli prius erecta remanere debet. — 67. 68. Confraternitates aggregatæ Archiconfraternitatibus Urbis, an gaudeant ipsarum privilegiis? *Remissive*. — 69. Antiquissimus est usus Confraternitatum; Ethnicorum duo confraternitatum genera: alterum ad religiosum Deorum, alterum ad profanum artium cultum institutum; unde nomen sumpserint? — 70. Sumpserunt etiam ab Imperatoribus. — 71. Plerumque sub prætextu divini cultus prava in eorum concionibus moliebantur consilia. — 72. Inde nonnullorum templorum demolitio. — 73. Vivente Marciano, Religionis tantum causa coire licitum fuit. — 74. Ob hanc causam Judæis post captam Hierosolymam Romæ viventibus permissum fuit synagogam constituere. — 75. Sed Julius Cæsar illis synagogam interdixit; sed postea permisit. — 76. Sub aliis Imperatoribus renovatæ fuerunt hujusmodi prohibitiones, sed tandem Theodosio Imperatore voti compotes fuerunt. — 77. Diversa primis illis temporibus Christianorum conditio fuit; *heteriæ* quid? — 78. Collegia Christianorum primis sæculis a nostris confraternitatibus diversa. — 79. Duo distinguenda sunt Collegiorum genera: alia Ecclesiastica, alia Laicalia erant; Ecclesiastica diutius communem vendi formam observarunt. — 80. Laicalia primo ad pietatis officia coibant; — 81. Deinde simul convenire ceperunt etiam ad usus profanos. — 82. Quando hæc Collegia orta sint, et Confraternitatum nomen sumpserint, arduum est invenire. — 83. Origo Confraternitatum constituenda est anno 800. — 84. In Italia assiduè Barbarorum incursionibus perturbata, pene nulla Confraternitatum reperitur mentio. — 85. Sed nondum omnino hæc Confraternitates nostris similes erant. — 86. Incunte sæculo

XIII. Flagellantes publicas inire supplicationes ceperunt, saccumque induere et vexillum erigere, ut una ab altera distingueretur societas. — 87. Antiquior inter has posteriores apparet Confraternitas dicta *del Confalone*. — 88. De Confraternitatibus Artificum *Remissive*. — 89. Undenam vocentur Fratres?

ARTICULUS II. — Quoad varia, quæ concernunt Confraternitates, eorum Cappellanos, et Parochos.

1. Ad dirimendas controversias, quæ sæpe oriri solent inter Confraternitates, eorumque Cappellanos, et Parochos non est desumenda regula, et norma ab Archiconfraternitatibus Urbis. — 2. Sed sunt observanda decreta a Sacris Congregationibus pluries edita, et signanter a Sac. Congregatione Concilii. — 3. Et a Sac. Congregat. Episcoporum et Regularium. — 4. Et a Sacra Congregatione Rituum. — 5. Alia ad rem. *Remissive*. — 6. Confraternitates aliqua quidem exercere queunt sine licentia Parochi, immo hoc contradicente; sed nunquam absque Ordinarii placito. — 7. Afferuntur plura Decreta S. Congr. Concil. — 8. 10. Afferuntur Decreta S. Cong. Conc. quoad discordias inter Parochos et Rectores distinctarum Ecclesiarum existentium intra limites Parochiæ sine ulla Confraternitate. — 11. Resolutio S. Cong. Rituum anno 1704. edita valet dissidiis Parochos inter et Confraternitates finem imponere. — 12. S. Congreg. statuit discrimen Confraternitates Sæcularium erectas in Ecclesiis Parochialibus etc. inter, et Confraternitates constitutas in Ecclesiis publicis etc. — 13. Et fere omnia tribuit Parochis in Confraternitatibus primi generis. — 14. Post hanc resolutionem nonnulli scriptores putant, plura in Confraternitatibus et ab eorum Cappellanis hanc fieri posse. — 15. Et allegant Decreta Sac. Congregationum. — 16. Afferitur Baptistelli Fulginatens. Episcopi sententia. — 17. Quos confutat Bened. XIV. — 18. Alia ad rem. *Remissive*.

ARTICULUS III. — Confraternitates, quoad illa, quæ respectu ipsarum Episcopus potest facere, vel non.

1. Confraternitates Laicorum cum usu sacrorum non solum in propriis Oratoriis, sed etiam in Regularium Ecclesiis, in quibus reperiuntur erectæ, possunt visitari ab Episcopo in his quæ respiciunt administrationem, et adimplementum onerum. — 2. Quoad hoc attendenda est Epistola Sac. Congreg. Episcoporum, et Regularium. — 3. Ubi vides non posse Episcopum visitare Ecclesias, vel Altaria etiam pro servitio dictarum Confraternitatum a Regularibus assignata, nisi quoad onera. — 4. Immo neque visitare potest Episcopus Altaria, et Cappellas in Regularium Ecclesiis per Sæcularium Confraternitates constructa. — 5. Confraternitates Laicorum visitari possunt ab Episcopo etiamsi essent erectæ in Ecclesiis, seu Oratoriis fundatis, et extractis in solo, et territorio Religionis Hierosolymitanæ. — 6. Quin immo Episcopi visitare possunt Confraternitates, quæ non a primæva sua fundatione sunt sub immediata Regum protectione, sed solum ex post sub sui immediata protectione sunt a Rege accepta, usque ad n. 8. — 9. Administratores Confraternitatum, sicut et aliorum piorum locorum, possunt compelli ab Episcopo ad reddendam rationem administrationis, et ad asportandum libros administrationis, etiam ad Palatium Episcopale, si sint in loco residentie, seu alterius stationis, et permanentie Episcopi. — 10. Etiamsi tales administratores rationem administrationis aliis reddere solerent. — 11. Immo redditio rationis administrationis danda est Ordinariis etiam a Confraternitatibus, aliisque locis piis, quæ sunt sub immediata Regum protectione, usque ad n. 13. — 14. Episcopus manutenendus est in quasi possessione cogendi Confraternitates Laicorum, quæ utuntur sacco, per Edicta pœnalija, exactionem pœnarum, aliaque juris, et facti remedia ad conveniendum solitis Processio-

nibus non obstante aggregatione. — 15. Et n casu, quod adsit consuetudo. — 16. Episcopus potest per se ipsum, vel per suum Delegatum intervenire, et assistere Congregationibus Confraternitatum, et electionibus Officialium, modo non faciat novitates. — 17. Immo potest Episcopus per se ipsum, vel per suum Delegatum intervenire, et assistere Congregationibus Confratrum, etiamsi fiant in Ecclesiis et Oratoriis Regularium, absque eo quod possit excludi. — 18. Pro contributione Seminarii Episcopus potest taxare Confraternitatum bona, quatenus sint Ecclesiastica. — 19. Supposita taxa pro Seminario cum solutione continuata ultra triginta annos, tenetur Confraternitas ad illius solutionem in futurum. — 20. Confraternitates tenentur contribuere pro vicinialibus Visitatoris, seu Episcopi Visitantis. — 21. Et non obstante consuetudine contraria non contribuendi. — 22. Servari debet Decretum Episcopi, ne in Oratoriis Confraternitatum celebretur in Festis ante Parochialem, modo Parochus celebret hora competenti. — 23. Non potest Episcopus se ingerere in administrationem bonorum Confraternitatum Laicorum, dum illa non dilapidant, usque ad n. 24. — 25. Episcopus non potest prohibere Confraternitatus Laicorum, ne faciant expensas extraordinarias excedentes summam Scurorum viginti sine sua licentia. — 26. Episcopus non debet compellere ad unionem Confraternitates. — 27. Hinc similis unio facta, declaratur nulla. — 28. Nulla Confraternitas impediri debet, ne accedat ad funera, modo sine iurium Parochialium præiudicio. — 29. Episcopus impedire non potest, ne Confratres societatis Mortis incedant cum capite caputo cooperto. — 30. Episcopus non potest prohibere, vel restringere Confraternitatus præsertim aggregatis solita exercitia, puta Societatis Mortis sepelire defunctos post horam 23. — 31. Vel facere consuetam disciplinam secreto, et sine lumine. — 32. Secus de exercitiis insolitis, si possit esse occasio scandali, vel disturbandi antiqua. — 33. Confraternitates possunt congregari ubi, et quoties magis eis placuerit, etiam absque Episcopi licentia, usque ad n. 35. — 36. Cappellani Confraternitatum non debent ab Episcopo sine causa amoveri, reluctantibus Confratribus. — 37. Confratres non possunt quæstare etiam per propriam Ecclesiam sine licentia Ordinarii. — 38. Affertur Resolutio Sacre Congr. Conc. interpretis quoad potestatem Episcopo competentem visitandi Confraternitates erectas in Ecclesiis Regularium exemptorum. — 39. Cui resolutioni ipsa S. Congr. se conformavit. — 40. Confraternitates in Lateranensi solo excitata Episcopo minime subsunt. — 41. Quod Privilegium tunc valet, cum Confraternitates in eo fundo eriguntur, qui prius ad Basilicam Lateranensem pertinebat. — 42. Aliter vero, si post erectionem eidem Basilicæ subiciuntur. — 43. Potest tamen Episcopus eas visitare tamquam delegatus. — 44. De Parochi potestate in Confraternitates. — 45. 55. Affertur resolutio Sac. Congr. Conc. interpretis.

ARTICULUS IV. — *Confraternitates, quoad immunitatem a potestate, et jurisdictione Laicali.*

1. Confraternitates auctoritate Apostolica, vel Ordinaria erectæ subsunt jurisdictioni Episcopi, ac etiam ipsi Confratres, ubi agitur de interesse spiritualitatis et Confraternitatis. — 2. Cognitio causæ contra Confratres Confraternitatis N. spectat ad Archiepiscopum. — 3. Sicut et causa contra Confraternitatem habentem requisita spectat ad Iudicem Ecclesiasticum. — 4. Causæ jam cognitæ a Iudice Ecclesiastico circa bona debita Confraternitatibus, spectant ad Iudicem Ecclesiasticum, nec potest Iudex Laicus res reassumere, seu inhibere. — 5. Confraternitates Ecclesiasticæ gaudent exemptione a gabelle pro pane, qui ab eis datur custodibus animalium ipsarum Confraternitatum pro eorum victu. — 6. Domus Confraternitatis contigua Ecclesiæ Con-

fratrum gaudet immunitate, etiam quoad confugientes. — 7. Locata vero Laicis non gaudet. — 8. Administratores et Procuratores Confraternitatum, Ecclesiarum, et Capellarum auctoritate Episcopali fundatarum, quarum proventus in opera pia insumuntur, etiamsi sæculares, quoad ea, quæ pertinent ad dictam administrationem, convenire debent ante Forum Ecclesiasticum. — 9. Iudices sæculares, qui Confraternitates, seu Confratres per præcepta compellunt ad se subiciendum suis iudiciis pro rebus ipsarum Confraternitatum, et pro actibus, quos faciunt in locis Sacris, et alios, ut Processionum, et similibus, tamquam usurpatores jurisdictionis Ecclesiasticæ declarandi sunt et tractandi. — 10. Hinc injungendum videtur Gubernatori, ut revocet præceptum factum Officialibus Confraternitatis, et omnia alia acta ab ipso facta in præiudicium Jurisdictionis Episcopalis. — 11. Ad hanc rem facit Epistola scripta Archiepiscopo Mediolanensi a Sac. Congregat. Immunit. — 12. Alia Epistola Episcopo Nolano missa. — 13. Quando Confraternitates dicendæ sint Ecclesiasticæ et quando Laicales, *Remissive*.

ARTICULUS V. — *Confraternitates, et Confratres quoad sepulturas.*

1. Confraternitatus potest ab Episcopo concedi privilegium sepulcri. — 2. Confratres decedentes non electa sibi explicite sepultura in sepulcro sui Oratorii, debent sepeliri in Ecclesia Parochiali, si alias non habeant proprium sepulcrum majorum. — 3. Electio sepulture facta a Confratribus collective, et collegialiter sustinetur, et valet solum pro illis, qui individualiter consenserunt, ad n. 7. — 8. Hinc Confratres Confraternitatis etiam erectæ in Cathedrali decedentes non electa sepultura, sepeliendi sunt in Parochiali, et non in sepulcro a Societate in Cathedrali constructo, etiamsi adesset statutum approbatum ab Ordinario, quod in sepulcro Confraternitatis essent tumulandi. — 9. Officium super Defunctis in Ecclesia, vel oratorio Confraternitatis ad n. 11. — 12. Ex Decreto tamen Sacre Congregationis Episcoporum, et Regular. Parochus intervenire potest in funeribus, quæ fiunt in Ecclesiis Confraternitatum, licet defuncti non sint de sua Parochia. — 13. Hinc conciliantur Decreta. — 14. Conceditur ex gratia Confraternitati, ut sepelire possit in sua Ecclesia omnes suos Confratres, ante infirmitatem, de qua decesserunt, in ea Confraternitate descriptos, de consensu hæredum, et sine præiudicio emolumentorum, quæ spectarent ad Capitulum, vel Parochiam. — 15. Hæres Defuncti invitare potest numerum Sacerdotum et Confraternitatum sibi bene visum. — 16. Nec cogi potest ad vocandum Capitulum vel alios sed solum Parochum cui debetur duplum Eleemosynæ. — 17. An liceat in Ecclesia Confraternitatum habere sepulcrum, et possint cadavera tumulari absque licentia Parochi? — 18. An in sepulcro Confraternitatis in propria Ecclesia sepeliendi sint Confratres, qui sine sepultura electione decedunt? — 19. An ad Parochum spectat facere Officium funebre supra cadaveribus sepeliendis in Ecclesiis, etc. Confraternitatum. — 20. An liceat Confraternitati Salutis sepelire in propria Ecclesia cadavera Confratrum, qui ibidem elegerint sepulturam; et an ejusdem Capellanus absente Parocho valeat funciones super iisdem cadaveribus explere? — 21. Confratres sepeliri possunt in sepultura Ecclesiæ suæ Confraternitatis. — 22. 25. Utrum hoc in casu Officium funebre super Cadaveribus facere spectet ad Capellanum Confraternitatis, an ad Parochum?

ARTICULUS VI. — *Quoad varia alia Confraternitates concernentia.*

1. Confraternitates Ecclesiasticæ nequeunt alienare bona sua sine beneplacito Apostolico. — 2. Immo requiritur beneplacitum Apostolicum in cessione bonorum Confraternitatis, etiam in favorem alterius

Ecclesiæ. — 3. Sic etiam requiritur beneplacitum Apostolicum pro Confraternitatibus, et Oratoriis Laicorum erectis in Ecclesiis Regularium auctoritate Ecclesiastica. — 4. Confraternitates mere Laicales, sicuti et Collegia mere Laicalia, licet ibi opera pia exerceantur, et perinde dicantur loca pia, possunt alienari sine solemnitatibus. — 5. Secus vero, si sint loca auctoritate Ecclesiastica erecta, quamvis administrantur a Laicis. — 6. Hinc Confraternitates, Societates, Conservatoria, Seminaria, Collegia, et hujusmodi, si sint erecta auctoritate Ordinarii, et sic sint Ecclesiastica, subiciuntur Extravaganti sine solemnitatibus; et beneplacito Apostolico. — 7. Secus si non sint talia. — 8. Seminaria erecta in vim Concilii Tridentini sunt loca Ecclesiastica, et eorum bona nequeunt alienari sine solemnitatibus; et beneplacito Apostolico. — 9. Collegia vero Puerorum, et Alumnorum erecta absque auctoritate Ordinarii, etsi dicantur loca pia, non tamen sunt Ecclesiastica, nec indigent Apostolico beneplacito pro alienationibus. — 10. Sic Collegia Artificum, et Universitatis Professionum, cum non sint loca Ecclesiastica, non subjacent Extravaganti *Ambitiosæ*. — 11. Mons vero Misericordiae Civitatis Neapolis petiit beneplacitum pro alienatione domus. — 12. Confraternitates Laicorum approbatæ, et earum Cappellani possunt facere solitas Processiones, quando non fiunt in Parochiali, et in primaria Ecclesia. — 13. Confraternitatum Processiones non debent extendi per vias, sed circa muros Regularium, qui eas regunt, extra vero ambitum Ecclesiæ non licet neque Regularibus, neque Confraternitatibus facere Processiones, nisi de licentia Parochi, exceptis tamen illis qui gaudent in hoc speciali privilegio. — 14. In Processionibus peragendis extra ambitum Ecclesiarum, in expositione Eucharistiæ, Benedictione solemnium super populum, aliisque similibus, quoties interveniat licentia Ordinarii, Parochus non potest se opponere ne a Cappellanis et Officialibus Confraternitatum fiant. — 15. Confraternitates Laicorum in Processionibus procedere, et præcedere debent inter se juxta Bullam Gregor. XIII. incip. *Exposci*. — 16. Unde Confraternitas, quæ prius saccum induit, præcedere debet aliis, quæ postea induerunt. — 17. Excipitur tamen Confraternitas, seu Societas Sanctissimi Sacramenti, cui debetur præcedentia supra omnes alias Confraternitates in illis Processionibus, in quibus defertur Sanctissimum Sacramentum. — 18. In aliis vero Processionibus Confraternitates Sanctissimi Sacramenti debet procedere, et præcedere, juxta suam antianitatem, sicut cætera alia. — 19. Jus præcedentiæ non attenditur in regressu a Processionibus.

ARTICULUS I.

Quoad ea, quæ concernunt confraternitatum erectionem, et aggregationem, et originem.

(1. Ut Confraternitates legitime, et valide erigantur, et aggregentur, debet omnimode observari Constitutio 113. Clementis VIII. incip. *Quæcumque*, quæ ut ab omnibus commode sciri possit, datur hic per extensum ut jacet.

CLEMENS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

(2. Quæcumque a Sede Apostolica ad promovendam Christi fidelium salutem aliquando concessa sunt, etsi maturo consilio, magnaque prudentia, et cautione sancita, et decreta sint, tamen cum Romanus Pontifex de animarum salute sollicitus, progressu temporis animadvertit sensim aliquot abusus in eisdem statutis, et decretis observandis provenire, debet pro sui pastoralis officii munere illis opportuna ratione occurrere, et

— 20. Confratres ad conveniendum solitis Processionibus compellere potest Episcopus sub pœnis ejus arbitrio imponendis, stante possessione illos vocandi per Edicta. — 21. Confraternitates Episcopo assentiente possunt statuta condere. — 22. Statuta autem confirmare nemo potest, invito vel inconsulto Episcopo, sed ad ipsum privative quoad alios spectat. — 23. Confraternitas legitime, ut moris est, intimata, et coadunata, poterit determinare, et resolutionem capere, etiamsi non interveniant duæ ex tribus partibus, aut major pars Confratrum. — 24. Confraternitates erigere possunt, et ampliare suas Ecclesias, vel Oratoria sine præiudicio Jurium Parochialium non tamen mutare titulum. — 25. Confraternitates possunt eleemosynas quærere secundum suum institutum. — 26. Confraternitates non possunt accedere ad funeralia mortuorum, nisi specialiter, et expresse vocentur. — 27. Confraternitates, sæcularium funera associantium, de intorticiis, seu Cereis, quartam funeralem Parochis non debent. — 28. Habitus mutatio non debet de facili Confraternitatibus indulgeri. — 29. Si duæ Confraternitates ejusdem loci deferunt eundem saccum, distingui debent addito aliquo coloris signo. — 30. Confraternitates quædam, quæ extra Urbem sunt, et dependent a Capitulo Sancti Joannis Laterani, vel Sancti Petri, vel S. Sebastiani, subduntur Ordinariis, ac Rectoribus Ecclesiarum. — 31. Inter Confraternitates Laicorum illa præcedit, quæ est in possessione præcedendi, aut quæ prius saccis induta est. — 32. Confraternitas SS. Sacramenti, si sacco induatur præcedit cæteras in Processionibus, in quibus defertur SS. Eucharistia. — 33. Affertur Decretum S. Congr. Indulgent. in Constant. — 34. Confraternitati, excluso Parocho, jus est Officium funebre faciendi super Cadavera Confratrum qui non sunt de Parochia, ubi sita est Ecclesia Confraternitatis. — 35. Si vero subjecti sunt Parochiæ, in qua Ecclesia Confraternitatis posita est, spectat ad Parochum. — 36. Potest tamen hoc jus spectare ad ipsorum Confraternitatem ex peculiaribus Conventionibus a S. Sede confirmatis. — 37. An in funebri hoc Officio Confraternitas propriam Crucem elevare queat, ejusque Capellano permitti possit delatio Pluvialis et Stole? — 38. De mutatione statutorum Confraternitatum frequentes sunt questiones. — 39. Ordinarius ea mutare potest. — 40. An ipsi hæc ipsa facultas competat, quoad statuta condita in vim contractus. — 41. An valeat mutare statuta a S. Sede confirmata. — 42. Alia ad rem, *Remissive*.

quantum cum Domino potest, adhibito salutaris remedio providere.

§ 1. Cum itaque a pluribus Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris, et forsitan etiam a Nobis nonnullis Regularibus Ordinibus, Religionibus, et Institutis, ac etiam Christi fidelium sæcularium Archiconfraternitatibus, et Congregationibus diversarum Nationum, Nominum, et Institutorum, tam in Alma Urbe nostra, quam in aliis Civitatibus, et locis Christiani Orbis institutis, facultas erigendi, et instituendi, in eorum, et aliis Ecclesiis, et Collegiis, nec non etiam sibi aggregandi Confraternitates, et Congregationes in eadem Urbe, et in aliis locis existentes, eisque privilegia, Indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias, et indulta sibi concessa respective communicandi attributa fuerint, ac nulla certa forma, vel ratio præscripta sit, quæ in hujusmodi erectionibus, institutionibus, aggregationibus, et communicationibus faciendis servari debeat; propterea, sive negligentia Superiorum

Ordinum, Religionum, et Institutorum, vel Officialium Archiconfraternitatum, et Congreg. erigentium, instituentium, aggregantium, et communicantium, quæ Confraternitatibus, et Congregationibus erigendis, instituendis, et aggregandis, et quibus communicationes privilegiorum, Indulgentiarum, aliarumque gratiarum prædictarum fiunt, non servant formam in hujusmodi erectionibus, institutionibus, aggregationibus, et communicationibus servari debitam, neque præscribunt modum quo privilegia, Indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias, et indulta prædicta consequi debeant, seu ipsarum Confraternitatum, et Congregationum incuria, quæ non inquirunt ea quæ præstare oportet, ut nulla consequantur, nonnullæ prævæ consuetudines irrepserunt multaque incommoda inde provenerunt.

§ 2. Quibus Nos, pro commissio nobis Apostolicæ sollicitudinis Officio, paternaque erga omnes Christi fideles Charitate prospicere volentes, hæc nostra Constitutione perpetuo valitura decernimus atque statuimus, ut in posterum, tam hujus Almæ Urbis nostræ, quam aliarum Civitatum, et locorum totius Christiani Orbis Regularium Ordinum, et Religionum, et Institutorum, quibus in eorum, et quibuscumque aliis Ecclesiis, et Collegiis, Confraternitates Sæcularium erigendi, et instituendi facultas concessa est, nec non etiam Archiconfraternitatum, et Congregationum, cujusvis Nationis, Nominis, et Instituti illæ sint, et in quibuscumque Ecclesiis, Domibus, et Oratoriis, tam Sæcularium, quam, ut præfertur, quorumcumque, etiam Mendicantium Ordinum, Religionum, Institutorum Regularium, quavis, tam ordinaria, quam Apostolica auctoritate erectæ, ac institutæ existant, seu alio quovis modo introductæ reperiantur, quibus alias Confraternitates, et Congregationes instituendi, erigendi, ac sibi aggregandi, aliisque privilegia, Indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias, et indulta prædicta elargiendi, et communicandi potestas a Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, vel a Nobis, et Apostolica Sede attributa fuit, Magistri, Priores, Præpositi, Rectores, Governatores, Præceptores, Primicerii, Prælati, Custodes, Guardiani, Præfecti, Administratores, et alii Officiales, seu Superiores, quovis modo nuncupati, Regularium siquidem Ordinum, Religionum, et Institutorum, unam tantum Confraternitatem, et Congregationem, de consensu tamen Ordinarii loci, et cum literis ejus testimonialibus, quibus Confraternitatis, et Congregationis erigendæ, et instituendæ pietas, et Christianæ Charitatis officia, quæ exercere cupit, apud eos commendentur, in eorum, et quibuscumque aliis Ecclesiis, et Collegiis erigere, et instituere.

§ 3. Cæterarum vero Archiconfraternitatum, et Congregationum, in singulis Civitatibus, Oppidis, vel locis, unam etiam Confraternitatem, et Congreg. dumtaxat, quæ Apostolica, vel ordinaria auctoritate prius erecta, ac nulli alteri Ordini, Religioni, Instituto, Archiconfraternitati, et Congregationi

ejusdem, vel alterius Nationis, Nominis, et Instituti aggregata sit, prævio similiter loci Ordinarii consensu, et cum ejus Literis testimonialibus, quibus ejusdem Confraternitatis, et Congregationis aggregandæ, institutum, pietas, et Christianæ charitatis officia, quæ exercere consuevit, apud eos commendentur, sibi adjungere, et aggregare possint.

§ 4. Huic vero Confraternitati, et Congregationi erigendæ, instituendæ, seu aggregandæ, ea tantum Privilegia, Indulgentias, Facultates, aliasque spirituales gratias, et indulta, quæ ipsi Ordini, Religioni, Instituto erigenti, instituenti, ac communicanti, seu Archiconfraternitati, et Congregationi aggreganti, nominatim, et in specie, non autem quæ per extensionem, vel communicationem sibi, quovis modo, concessa sunt, et illa quidem non sub generali forma verborum, vel ad instar, sed expresse, et in specie communicare valeant.

§ 5. Statuta autem pro regimine Ordinum, Religionum, et Institutorum erigentium, et instituentium, ac communicantium, seu Archiconfraternitatum, et Congregat. aggregantium edita, Confraternitatibus, et Congreg. erigendis, instituendis, et aggregandis, et quibus Communicationes privilegiorum, et aliorum prædictorum fiunt, impartiri non possint, nisi ea prius ab Episcopo Diocesano examinata, et pro ratione loci approbata fuerint, quæ nihilominus ejusdem Episcopi decretis, ac moderationi, et correctioni in omnibus semper subjecta remaneant.

§ 6. Insuper volumus, et ordinamus, ut prædicti Ordines, Religiones, Instituta erigentia, instituentia, ac communicantia, nec non Archiconfraternitates, et Congregationes aggregantes certam erigendi, instituendi, aggregandi, et communicandi formulam a Nobis novissime approbatam diligenter observent, secundum quam privilegia, Indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias, et indulta ipsis Ordinibus, Religionibus, Institutis erigentibus, instituentibus, et Communicantibus, seu Archiconfraternitatibus, et Congregationibus aggregantibus, nominatim, et expresse, non autem per communicationem, neque ad instar, ut supra, concessa, ipsis Confraternitatibus, et Congregationibus erigendis, instituendis, et aggregandis, et quibus communicationes fiunt, communicare possint.

§ 7. Quibus Confraternitates, et Congregationes ejusdem dumtaxat Nationis, et Nominis, Ordinis, Religionis, et Instituti, Archiconfraternitatis, et Congreg. cui aggregantur, tam hactenus aggregatæ, quam in posterum aggregandæ utantur, potiantur, et gaudeant, ita ut dictarum Confraternitatum, et Congreg. erectarum, institutarum, et aggregatarum, ac quibus communicationes factæ sunt, Ministri, et Officiales, et alii supradicti privilegia, Indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias, et indulta hujusmodi, prævia tamen recognitione Ordinarii loci, qui adhibitis duobus de ejusdem Ecclesiæ Capitulo, illa juxta Sacri Conc. Trid. Deere-

tum promulganda decernat, debitum tempore promulgare valeant.

§ 8. Quibus etiam Ministris, Officialibus, et aliis prædictis, eleemosynas, et alia oblata Christianæ Charitatis subsidia, juxta modum, et formam per Ordinarium loci præscribendam, remotis tamen mensis, pelvibus, et capsis, quæ in Ecclesiis, et Oratoriis dictarum Confraternitatum, et Congreg. publice ad hoc exponi consueverunt, excipiendi potestas detur: Atque hoc ipsum Ordines, Religiones, Instituta erigentia, instituentia, ac communicantia, seu Archiconfraternitates et Congregat. aggregantes tam Almæ Urbis nostræ quam aliarum Civitatum, et locorum quorumcumque juxta modum a Vicario Urbis, et ab Ordinariis locorum respective præscribendum, observare teneantur. Eleemosynas sic collectas in reparationem, et ornatum Ecclesiarum, tam Ordinum, Religionum, Institutorum erigentium, instituentium, et communicantium, ac Archiconfraternitatum, et Congregat. aggregantium, quam Confraternitatum, et Congreg. erigendarum, et instituendarum, et quibus communicationes fiunt, aut in alios earum pios usus, arbitrio ejusdem Vicarii nostri in Urbe, necnon Ordinariis locorum respective fideliter exponere, atque erogare procurent: ut omnes intelligant cœlestes Ecclesiæ thesauros, non quæstus, aut alicujus lucri causa, sed pietatis, et charitatis excitandæ gratia ex Apostolicæ Sedis benignitate Christi fidelibus aperiri.

§ 9. Præterea volumus ut Confessarii, qui vigore privilegiorum ipsis Ordinibus, Religionibus, Institutis erigentibus, instituentibus, et communicantibus, seu Archiconfraternitatibus, et Congregat. aggregantibus concessorum, ac Confraternitatibus, et Congregationibus aggregandis communicandorum, pro tempore eligi possunt, et poterunt sæculares, scilicet in Alma Urbe a prædicto nostro Vicario, extra Urbem vero a locorum Ordinariis; Regulares autem non solum a prædicto Vicario nostro, et a locorum Ordinariis respective, sed etiam a suis Superioribus approbati sint, utque Confratres confitentis a criminibus, casibus, et Censuris, juxta dictorum privilegiorum (quatenus tamen sint in usu, et Sac. Conc. Trid. Decretis, ac Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, et nostris Constitutionibus non adversentur, nec revocata, aut sibi aliquibus revocationibus comprehensa sint) formam et tenorem dumtaxat absolvere valeant. Decernimus insuper, ut iidem Confessarii prædictos Confratres cujuscumque gradus, conditionis, præminentia, etiam si speciali nota dignæ fuerint, a casibus contentis in Literis, quæ die Cœnæ Domini legi consueverunt, nec non violationis immunitatis, et libertatis Ecclesiasticæ, et clausuræ Monasteriorum Monialium, si videlicet sine necessaria, et urgenti causa, ac sine Superiorum licentia, vel etiam si causa, et licentia concessa abutentes, prædicta Monasteria ingressi fuerint, necnon violentæ manus injectionis in Clericum, et singularis certaminis, seu

duelli, ac ab aliis etiam casibus, tam a Nobis quam a prædicto nostro in Urbe Vicario, et locorum Ordinariis respective reservatis, et pro tempore reservandis, et etiam a quavis excommunicatione ab homine lata, absolvere, et super irregularitatibus, tam ex aliquo defectu provementibus, quam occasione delicti contractis cum aliquo dispensare prætextu dictorum privilegiorum, nullo modo possint.

§ 10. Demum statuimus, et pariter ordinamus, ut Confraternitates, et Congreg. ubivis locorum, quavis auctoritate, ut præfertur, erectæ, et institutæ, et quibus communicationes prædictæ factæ sunt, ac cuiuscumque ex dictis Ordinibus, Religionibus, Institutis, Archiconfraternitatibus, et Congregationibus ubilibet existentibus hactenus aggregatæ, ab eisdem respective Ordinibus, Religionibus, Institutis, Archiconfraternitatibus, et Congregationibus, novas erectionum, institutionum, communicationum, et aggregationum Literas, juxta formam a Nobis novissime approbatam, infra annum, si in Europa sint, et si extra Europam fuerint, infra biennium a die publicationis præsentium in Romana Curia faciendæ computandos impetrare teneantur, alioquin dicto tempore elapso, erectiones, institutiones, et quæcumque communicationes privilegiorum, facultatum, Indulgentiarum, aliarumque spiritualium gratiarum, et indultorum, et aggregationes illarum vigore ipsis concessæ, nullius sint roboris, et momenti, ac revocatæ, et abolitæ censeantur eo ipso.

§ 11. Erectionum autem, institutionum, communicationum, et aggregationum, tam hactenus factarum, quam deinceps faciendarum Literæ ab ipsis Ordinibus, Religionibus, institutis, seu Archiconfraternitatibus, et Congregationibus gratis omnino ac nulla prorsus mercede, etiam a sponte dantibus accepta, expediri, et concedi debeant.

§ 12. Quod si Ministri aliqui, Superiores vel Officiales quocumque nomine nuncupati Ordinum, Religionum, institutorum, seu Archiconfraternitatum, Congregationum, et Confraternitatum hujusmodi, quavis auctoritate, vel privilegio, et officio fungantur, et præfulgeant, contra præmissa in aliquo venire, vel facere præsumserint, erectiones, institutiones, et communicationes privilegiorum, Indulgentiarum, facultatum, spiritualiumque gratiarum, et indultorum, aliorumque præmissorum concessionem, necnon aggregationes per ipsos faciendæ, seu renovandæ, nullius sint roboris, et momenti, et quilibet eorumdem Ministrorum, Superiorum, Officialium, et aliorum prædictorum privationis officiorum, quæ obtinet, ac inhabilitatis ad illa, et alia in posterum obtinenda penam, quæ ab alio quam a Nobis vel a Romano Pontifice pro tempore existente, remitti non possit, incurrat eo ipso.

§ 13. Decernentes præsentem Literas perpetuo validas, et efficaces existere, fore, ac ab omnibus, et singulis, ad quos spectat,